

neque erga filios suos paternae vigilantiae curam exhibeant, vel Monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum, & pauperum se tuitionem impendant. Ideo hac tibi auctoritate praecipimus, ut eis a te convocatis, ex nostro illos mandato districtè commoneas; quatenus desides ulterius esse non debeant: sed Sacerdotalem se habere zelum, & sollicitudinem opere doceant; atque ita in his, quae eos iuste secundum Deum agere convenit, vigilantes existant, ut nulum nos de eis denuò murmur asperpet. Si quem verò eorum post hæc negligentem esse cognoveris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmittit: ut quàm sit grave, nolle ab his, quae reprehensibilia, & valde vituperanda sunt, corrigi, regulari in se valeat distractione sentire.

GRATIAN. QUOD autem de munditia castitatis Sacerdotibus impetratur, hoc etiam de quibuslibet altari servientibus intelligendum est. Unde dixisse legitur

III. AURELIUS Episcopus in Carthaginensi Concilio II. c. 2. § [an. 390. in Africa.] Qui Sacramentis Divinis inserviant, continentiam in omnibus servent.

Um in praeterito Concilio de continentia, & castitate meramine tractaretur, gradus isti tres confessionis quoad castitatem per consecrationem annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antilites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviant, continentiam esse in omnibus; quò possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est. Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam ab uxoris abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitiam custodiant, qui altario deserviunt.

CORR. ROM. a Docuerunt. In vulgatis codicibus sequebatur, exemplo, quod est sublatum: quia neque in ipso secundo Carthaginensi, aut impresso, aut manuscripto; neque in unico codicis Canonum, cum quo Graecus Canon convenit, neque in vetustis Gratiani exemplaribus habetur, & ex Glossa videtur translatum in textum.

Castidiamus. In codice Canonum cap. 5. unici Carthaginensis sequuntur hæc, Faustinus Episcopus Ecclesie Potentinae provinciae Piceni, Legatus Ecclesie Romanae dicit, Placet, ut Episcopi, &c. quae in recentioribus Colonienfibus Conciliorum editionibus adscripta sunt aliis characteribus. Verum in prisca Colonienfi, duabus Parilienfibus, & codicibus Vaticanis legitur, quemadmodum apud Gratianum.

PITH. I. Deest in V. C. Et castitatis. Sic V. C. Ab universis &c. Sic Vet. Thuan. Abstineant. V. C. se abst. Deserviunt. V. C. inserviant. Gratianum. Et in Cod. Fauchetii.

IV. Item ex Concilio Carthaginensi V. c. 3. [an. 398. in Africa.] De eodem.

Um de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum priora statutata etiam ab uxoris continere, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio: ceteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque Ecclesiae consuetudinem observari debere.

CORR. ROM. a Debere. In codicibus impressis hæc sequebantur, contra Martinus Papa [si Lecliv viduam duxerit] ut supra legitur. Sed illud, ubi necessitas hoc, ubi nulla necessitas urget. Quae sunt expuncta, quia in vetustis codicibus, aut non habentur, aut sunt adscripta in margine.

GRATIAN. SIMILITER, quod Monogamus Episcopus esse iubetur, etiam ad reliquos ordines Ecclesiasticos derivari oportet. Unde

V. SIRICIUS Papa Himerio Tarracon. Episcopo, Epist. I. c. 11. [an. 385. Româ in Hispaniam.] Laica sit tantum communione contentus Clericus viduam, aut secundum ducens uxorem.

Uisquis Clericus, aut viduam, aut certè secundam conjugem duxerit, omni Ecclesiastica dignitatis privilegio mox nudetur. Laica sibi tantum communione concessa. Quam ita diem poterit possidere, si nihil postea, propter quod hanc perdat, admittat.

PITH. Quisquis. Refertur à Cresc. Presbyterorum verò nomen, quamquam à fenestrate sit sumptum, magis tamen maturitatem indicat sapientiae, quam canitiem corporis. Unde

GRATIAN. Presbyterorum verò nomen, quamquam à fenestrate sit sumptum, magis tamen maturitatem indicat sapientiae, quam canitiem corporis. Unde

VI. ANACLETUS ad Episcopos Italiae, Epist. 2. [c. an. 103. Româ in Italiam.] Presbyteri seniores dicuntur non tam atate, quam sapientia.

Porro Moysi praecipitur, ut eligat Presbyteros (id est Seniores). Unde & in proverbii dicitur: Gloria Senum canities: hæc verò canities sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est. Cumque nongentos, & amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legerimus; nullus alius prius appellatus est Presbyter, id est, Senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepita senectutem, sed propter sapientiam Presbyteri nominantur.

EPISCOPI SINT HOSPITALES. DISTINCTIO LXXXV.

HOSPITALITAS verò usque adeo Episcopis est necessaria, ut si ab ea inventiantur alieni, iure prohibeantur ordinari. Unde scribit

I. GREGORIUS I. Joanni Episcopo, lib. 12. Epist. 6. [an. 603. Româ in Picenum.] Hospitalitatem nesciens non fiat Episcopus.

Archidiaconum Florentinum Ecclesiae Anconitanæ, qui ad Episcopatum fuerat electus, Scripturæ quidem sacrae scientiam habere; sed ita atatis senio jam confectus accepimus, ut ad regimini officium non possit assurgere: adiciens etiam ita illum tenacem existere, ut in domo ejus amicus ad charitatem nunquam introeat. Rusticum autem Diaconum ejus Ecclesiae, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur; sed, quantum asseritur, Psalmos ignorat. Florentium verò Diaconum Ecclesiae Ravennatis, qui ab omnibus electus dicitur, sollicitum esse novimus; sed qualis sit interius, omnino non scimus. Ideoque Fratemitas tua unâ cum Fratre, & Coepiscopo nostro Armenio suprascriptæ Ecclesiae Anconitanæ Visitatore illuc festinet accedere, & diligenter de moribus singulorum requirere, si de nullo sibi sunt crimine confici, quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est, si hoc, quod de praefato Archidiacono dictum est, quia nunquam amicus domum ejus ingressus est, si ita se veritas habeat, & utrum ex necessitate, an ex tenacitate sit; aut si ita senex est, ut ad regendum non possit assurgere; vel si tactis sacrosanctis Evangelii (sicut nobis nuntiatum est) jusjurandum præbuerit, nunquam se ad Episcopatum accedere. Sed & de Rustico Diacono, quantos Psalmos minus teneat, perscrutandum est. Florentio autem Diacono Ravennati, si nullum, sicut diximus, crimen est, quod obsistat, apud Episcopum ejus agi necesse est, ut ei debeat cessionem concedere: non tamen ex nostro mandato, vel dicto; ne contra suam voluntatem eum cedere videatur.

EPISCOPI DOCEANT ET CORRIPIANT, ET LIBERALES SINT. DISTINCTIO LXXXVI.

DOCTOREM autem Episcopum oportet esse, ne inferiorum culpæ in eum refundantur, qui docendi officium accepit; quod exequi nescit, vel negligit. Unde scribit

I. LEO I. Episcopus Aquilegensis Episcopo, Epist. 3. § 84. Ivo § 86. [an. 457. Româ in Venetiam.] Negligentia Reclorum imputantur culpæ inferiorum.

Inferiorum culpæ ordinem, ad nullos magis referenda sunt, quam ad desides, negligentisque Rectores: qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem a diffimulant adhibere medicinam.

CORR. ROM. a Austeriorem. Sic legitur in Epistola 84. Verum in Epistola tertia ejusdem Leonis legitur, necessariam. Reliqua utrobique eadem sunt.

PITH. Scribit. Add. V. C. Januario Aquil. &c. Austeriorem. V. C. necessariam, ut in notis Correct. Rom.

II. Item LEO I. Episcopus Rustico Narbonensi Episcopo, Epist. 90. Ivo § 92. in princip. [an. 443. Româ in Galliam.] Homines sunt diligendi, peccata odio habenda.

Odio habeantur peccata, non homines; corripiantur tumidi; tolerentur infirmi: & quod in peccatis severius castigari necesse est, non severitatis plectatur animo, sed medentis.

PITH. In peccatis. V. C. in peccantibus, at Cod. Fauch. & quod severius, &c.

III. Item JOANNES VIII. [c. an. 874. Româ.] Qui negligit emendare quod valet, facientis culpam habet.

Facientis culpam proculdubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est: Non Joliam

Solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere, cum possis deturbare perverios, nihil aliud est, quam fovere. Nec caret scrupulo confessionis occultae, qui manifesto facinorosi desinit obviare. Et probat odisse se vitia, qui condemnat errantes. Nec relinquit sibi locum deviandi, qui non pepercerit excedenti. Et primus innocentiae gradus est odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus adiutum, qui jungit cum pravitae consensum. Et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.

CORR. ROM. Caput hoc ex variis sententiis hinc inde collectis confectum est: quarum prima usque ad vers. emendare sumpta est ex Epistola Beati Gregorii 114. lib. 7. indit. 2. Theodorico, & Theoberto Regibus Francorum. PITH. Joannes VIII. Addit V. C. Ludovico Regi. Facientibus.] Abest à V. C.

GRATIAN. Si autem in corripiendo quis modum exceperit, non à subditis, sed à Domino veniam petat. Unde

IV. AUGUSTINUS de vita Clericorum. [c. an. 423. in Africa.] Veritatem à subditis non petat, qui in corripiendo modum exceperit.

Quando necessitas disciplinæ. Minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit; ita etiam ipsi modum vos exceperit sentitis, non à vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis: ne apud eos, quò oportet esse subiectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus justo forte corripitis, quantà benevolentia diligatis.

CORR. ROM. a De vita. Inter Opuscula B. Augustini anno Domini 1481. Parmæ impressa, sunt tres Sermones de communi vita Clericorum; ex quibus in vulgatis tomis operum B. Augustini, tomo decimo referuntur duo sub numero 52. & 53. ad Fratres in eremo. Tertius autem cum Epistola 109. omnino convenit; sed quæ in Epistola dirigitur ad Monachos, in Sermone diriguntur ad viros. Ex istis tribus Sermonibus de communi vita Clericorum multa capita accepit Gratianus (ut suis locis notabitur) & hoc quidem ex tertio.

GRATIAN. In doctrina verò sacræ Scripturæ, auctoritatem debet Episcopus præferre, non secularium literarum peritiam ostentare. Non enim Episcopalis officii est Grammaticam exponere, ne laudes Jovis perlonent ore Pontificis. Unde

V. GREGORIUS scribit Desiderio Episcopo, lib. 9. Epist. 48. [an. 601. Româ in Galliam.] Sacram Scripturam, non Grammaticam debet Episcopus exponere.

Um multa nobis bona de vestris fuissent studiis nuntiata, ita cordi nostro nata est lætitia, ut negare ea, quæ sibi Fratemitas vestra concedenda poposcit, minimè valeremus. Sed post hoc pervenit ad nos (quod sine verecundia memorare non possumus) Fratemitatem tuam, Grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerunt, in gemitum & trilitiam vertemus: quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quæ grave, nefandumque sit Episcopis, canere, quod nec Laico religioso conveniat, ipse considera.

PITH. Episcopo. Addit V. C. Gallie. Et. V. C. O quam.

GRATIAN. LIBERALEM quoque necessitatem patientibus Sacerdotibus oportet: alias autem vacuum portabit nomen Episcopi. Unde scribit

VI. GREGORIUS I. lib. 5. Epist. 29. seu cap. 129. Secundino servo Dei inter cetera. [an. 596. Romæ.] Sine liberalitate inane portatur nomen Episcopi.

Fratrem nostrum Marilianum Episcopum verbis, quibus vales excitata: quia obdormisse eum suspicor. Dic ergo, ut cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere, ut remotum fudeat federe, & de manu minimè fructificare: sed largam manum habeat; necessitatem patientibus concurrat; alienam inopiam, suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.

GRATIAN. In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum: rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodesse possimus, juxta illud Propheta: Disperisti, dedit pauperibus: personarum, ut primum iustus, deinde peccatoribus: quibus tamen dare prohibemur, non quia homines sunt, sed quia peccatores. Unde

VII. AUGUSTINUS tract. 100. ad c. 16. Joannis. [an. 412. in Africa.] Pars I.

Immane peccatum est res suas donare Histrionibus. Donare res suas Histrionibus vitium est immane, non virtus. Et scitis de talibus quam sit frequens fama cum laude: quia sicut scriptum est: Laudatur peccator in desideris anime sue; & qui iniqua gerit, benedicitur.

VIII. IDEM in Ps. 102. ad vers. Faciens misericordias. [fortè c. an. 415. in Africa.] Graavior delinquit, qui Venatori aliquid donat.

Qui Venatoribus donat, quare donat? dicant mihi, quare donat Venatori? Hoc in illo amant, in quo nequissimus est: hoc in illo pacunt, hoc in illo vestiunt: ipsam nequitiam publicam speculaculis omnium. Qui donant Histrionibus, qui donant Mercetricibus, quare donant? numquid non & ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani.

IX. IDEM ibidem paulò inferius. [fortè c. an. 415. ibid.] De eodem.

Qui Venatoribus donat, non homini donat, sed ari nequissimæ. Nam si homo tantum esset, & Venator non esset, non donares: honoras in eo vitium, non naturam.

X. IDEM in Ps. 147. [fortè c. an. 415. ibid.] De eodem.

Videntur homines Venatorem, & delectantur: vix miseris, si non se correxerint. Qui enim vident Venatorem, & delectantur; videbunt Salvatorem, & contristabuntur.

XI. Item HIERONYMUS in Ps. 90. ad vers. Sperabo in Domino. [fortè c. an. 415. in Palestina.] De eodem.

Inter opera adscripta Hieronymo, Venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis sanctis Sanctum aliquem Venatorem; Piscatores invenimus Sanctos.

XII. Item AMBROSIVS in Homilia 33. de Quadragesima. [c. an. 380. Mediolani.] De eodem.

Quid prodest jejunare vicibus, & luxuriare venatibus? abstinere cibis, errare peccatis?

XIII. IDEM ibidem paulò inferius. [c. an. 380. ibid.] De eodem.

AN putatis illum jejunare, Fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non Beatorum Martyrum loca sancta perquirat; sed furgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus, sylvasque perlustrat? Servulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiam festinantes; & voluptuosis suis peccata accumulata aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione servorum.

XIV. Item AMBROSIVS, lib. 1. de Officiis, c. 30. [an. 377. ibid.] De eodem.

Quæ sint in liberalitate servanda. Non satis est bene velle, sed etiam benefacere. Nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona voluntate proficiatur. facta liberalitas fide, causâ, loco, tempore commendatur, ut primum opereris circa domesticos fidei. Grandis culpa, si sciente te Fidelis egeat; si ficias eum sine sumptu esse, fame laborare, arumnam perpeti; qui præsertim egeat erubescat: si in causam ceciderit aut captivitas Suorum, aut calamitæ, & non adjuves: si sit in carcere, & pœnis, & supplicii propter debitum aliquod justus exructietur (nam etiâ omnibus debetur misericordia, tamen justo amplius): si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret: si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri; non est leve peccatum.

CORR. ROM. a Non satis. Hinc usque ad c. f. quid verò, in aliquot vetustis Gratiani exemplaribus, & apud Anselmum est unicum caput.

Non est leve peccatum. Verba hæc non sunt ibi apud Ambrosium, sed tamen apud Anselmum, & in Polycarpo.

XV. IDEM ibidem paulò inferius. [an. 377. ibid.] De eodem.

Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi forte, ut Hælisæus, qui boves suos occidit, & pavit pauperes ex eo, quod habuit: ut nullâ carâ teneretur domesticâ, sed relictis omnibus in disciplinam se prophetiam daret.

XVI. IDEM ibidem continetur. [an. 377. ibid.] De eodem.